



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars Prima. De Ivrisdictione Et Foro Competenti. Pars Secunda. De
Praeeminentiis & Praecedentiis

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXXXVII. Arelaten. pensionis. Ad materiam text. in l. hæres absens ff.
de judic. An scilicet & quando hæres pernecessè conveniri debeat pro
debitis defuncti in loco sui domicilii, vel conveniri ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74087](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74087)

vel in duas burfas, Atque irrationabile videtur, quod Theſaurarius, qui absque labore vel opera, nec quidem minima, consequitur decimam de in-camerationibus tanquam nudum emolumentum officii, debeat eandem decimam, & non aliud percipere in causis per eum ex Principis delegatione tractatis, & in quibus laborat, nam ita remaneret labor totaliter sine premio, cum ut dictum est, decima non sit premium laboris sed emolumentum certum officii, etiam sine labore, Ideoque sicuti decima fuisset debita si causa tractata fuisset, coram Camerario, cui etiam quarta deberetur, ita in presentia, atque ita iudicatum fuit.

ARELATEN-
PENSIONIS

PRO

PETRO SERANTONIO
ET CONSORTIBUS

CUM

MARCHIONE BICHIO,

Causa disputata coram A. C. & in Signatura iustitiana & varie resoluta, ut infra.

Ad materiam tex. in l. heres absens ff. de iudic. an scilicet & quando heres per necessesse conveniri debeat pro debitis defuncti in loco sui domicilii, vel conveniri possit in foro defuncti, vel ubi est hereditas seu major pars bonorum.

SUMMARIUM.

- 1 **F**alsa series.
- 2 An & quando heres ex persona propria declinet forum defuncti.
- 3 An differant in hoc heres beneficiatus, & non beneficiatus.
- 4 In quo foro heres sit conveniendus ad legata & fideicommissa prestanda.
- 5 De absurdo, ut heres declinet forum defuncti.
- 6 Declaratur propositio, quod heres potest conveniri in foro sui domicilii.

DISC. LXXXVI.



Casione permutationis, quam de anno 1643. fecit Cardinalis Bichius Abbatia de Corneville, Rotoſagen. diocesis per ipsam possessa, cum Abbatia sancti Petri de Monte majori Arelaten. seu Nullius possessa per Abbatem de Breves, ad istius favorem pro inducenda permutationis æqualitate, reservata fuit pensio librarum 1800 pro cuius solutione fidei iusserunt Cantarini, & Serantonii in Civitate Parisien. negotiatores. Qui cum pro pluribus terminis de proprio solutis dicto pensionario, vel tanquam ejusmodi pensionarii cessionarii quoad commoditatem in commercio existentem Card. de Luca de Iurisdict. & Foro compet.

tem, essent creditores dicti Cardinalis, atque hic moriens in Urbe, ibique condito testamento, heredes instituit Marchionem nepotem in Civitate Senatum ipsius Cardinalis ac heredis patria residentem; Hinc proinde iudicium in Curia coram A. C. pro dictorum terminorum decurſorum solutione dicti creditores instituerunt contra dictum Marchionem, super bonis tamen hereditariis Cardinalis; Marchione autem declinante forum, ac petente, attentata prima instantia, remitti causam ad forum suum, qui erat inſimul originis & domicilii, Iudex prævis pluribus disputationibus, dicta petitione rejecta, decrevit processum ad ulteriora, Unde reus adivit Signaturam iustitiæ, quæ non absque votorum scissura rescripsit de remissione cause ad partes, procedendo cum generali dispositione Sac. Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 20. incipien. causa omnes; Ut omnes causæ in prima instantia coram locorum Ordinariis cognosci debeant.

Mihi scribenti pro actoribus, reflectendo etiam ad veritatem, resolutio Signaturæ non placuit, ut potè nulli probabili fundamento innixa, quoniam cum Cardinalis debitoris forus competens, tam ratione Cardinalitæ Dignitatis, quam etiam domicilii in Urbe, ubi obierat, ac testamentum condiderat, majoremque partem bonorum habebat, esset dicta Curia seu Tribunal A. C. non poterat heres ex ejus propria persona hunc forum declinare, ac trahere creditores invidos ad forum suum, juxta textum expressum in l. heres absens ff. de iudic. Et licet verba text. enunciare videantur presentiam heredis in eodem loco, Nihilominus dicebam, magis communem & veram opinionem esse, ut id non requiratur de necessitate, sed ad superabundantiam, quod scilicet tunc tutius & clarius iste forus non sit declinabilis, Non inde tamen resultat, quod si non est præsens, licitum sit forum defuncti pro istius debitis declinare, trahendo per necessesse creditores ad forum suum diversæ Provinciæ, & Principatus, ut rejecta sententia Angeli & aliorum de quibus apud Carleval. de iudic. com. 1. quest. 5. num. 290. magis communem esse opinionem Bartoli & sequacium, post Barboſ. in eadem l. ab isto totum mutuando, probat Carleval. ibid. num. 288. & 292. ac habetur apud Franck. decis. 234. 364. & 553. ubi solum dubitatur in casu privilegii competentis, vel de jure communi heredi ex persona propria, ut est illud leg. unio. C. quando Imper. vel etiam de jure speciali, de quorum neutro in præſenti agendum erat, quia neque unum neque alterius concurrebat.

Considerabam præterea, tunc aliquam difficultatē in hoc puncto cadere posse quædo ageretur de actione merè personali contra ipsum heredem in persona & bonis propriis, quia absque beneficio inventarii & juris novissimi, tanquam effectus una & eadem persona cum defuncto, teneretur insolvidum, & de proprio creditoribus hereditariis, ut ante inventum beneficium inventarii de jure dispositum erat; Secus autem ubi agitur de herede beneficiato, atque creditor non agit contra ejus personam & bona propria, sed contra bona hereditaria, in ipso defuncti foro existentia, ut in præſenti agebatur, tunc enim casus videtur planus.

Ex ea clara ratione, quod heres beneficiatus hodie non dicitur verè & proprie heres, sed potius reputatur tanquam administrator hereditatis, quæ dicitur corpus si sum, seu intellectuale stans de per se, ita ut inter ipsam hereditatem, ac personam propriam heredis, sublata per jus novissi-

R 3 mum

simum in l. fin. C. de jure deliberan. actionum confusione, adesse possint actio & passio, ob duas formales diversas personas in una persona materiali concurrentes ex deductis apud *Manic. decis. 326. Capic. Larr. consult. 13. nu. 2. & 3. Hodiern. contr. 31. num. 18. Rouit. decis. 48. num. 11.* & passim in sua materia sub tit. de hered. Unde propterea, cum hereditas, vel tota, vel pro majori parte qua reliquum ad se attrahit, esset in Urbe, ubi etiam domicilium habebat Testator ibi defunctus, ac ubi hereditatis aditio facta erat, ibi ipse defunctus representari dicitur, neque administrator ad alias regiones diveriendo, trahere potest creditores vel alios jus habentes super ipso corpore intellectualem existente sub sua administratione.

Quod clarius comprobari dicebam ex communi traditione originata ex *glos. magistrals in l. quod legatur ff. de judic. cum qua pertranseunt Bar. Bal. Angl. Castren. & caeteri ibidem, Cyn. in l. unic. Cod. ubi de fideic. agi oporteat, & alii de quibus in Montis Alti seu Maceraten. fideicommissi hoc eod. tit. disc. seq.*

Quando enim disputant praefati Doctores & alii in quo foro haeres ad legatorum seu fideicommissorum praestationem cogi possit, distinguunt, quod Aut agitur de legato speciei, ad quam intentetur judicium reale, & istud intentari possit, vel in loco domicilii haereditis, vel in loco ipsius rei sitae; Aut de legato quantitatis seu generis, vel etiam de legato speciei petendo in actione personali, & tunc, vel in ejusdem haereditis domicilio, vel ubi est hereditas, qua divisa in bona in diversis locis existentia, attenditur locus ubi est ejus major pars, seu, ut alii volunt, est ejus caput, quasi quod actio fiat, seu regula sumi debeat a praedominanti, ut latius in *disc. Montis Alti disc. seq.* Et quando per modum dubitandi excitatur, an esset competens forus defuncti, concludunt negativè, non ex alia ratione, nisi ex ea quod legatum seu fideicommissum non est debitum defuncti, sed haereditis, oriens post mortem testatoris, cujus persona in consideratione non habetur, quasi quod ubi ageretur de debito ipsius defuncti, pro absoluto apud DD. haberetur, istius forum esse competentem, Multo magis ubi copulativè concurrunt iste, & alter loci ipsius hereditatis seu ejus majoris partis.

Accedente etiam alia viva ratione nimium manifesti absurdi alias ubique resultantis, fortius verò in Urbe, qua est communis patria, ex omnibus ferè nationibus etiam ultramontanis & remotis constituta, Prorsus enim absurdum videretur, quod aliquo Curiali Germano, Hispano, Gallo, Polono, vel alterius regionis in Curia vivente, ibique majorem partem bonorum suorum habente, si juxta regulariter prudentem ac laudabilem naturæ ordinem, haeres instituat attingentes in patria originaria existentes, cogendi essent creditores, vel alii praetendentes jus ac actionem habere ad bona hereditaria in Urbe existentia, adire Germaniam vel Poloniam, aliasque remotas regiones, ut judicium in loco domicilii haereditis ageretur, quo nil absurdius, & contra communem praxim, unde propterea parum probabilis hujusmodi resolutio videbatur, nulli innixa solido fundamento.

Quando siquidem DD. in d. l. quod legatur ff. de judicis, & in d. l. unica Cod. ubi de fideic. agi oporteat, ac etiam in l. r. C. de hered. agatur, firmant competentiam domicilii haereditis, non dicunt, quod etiam respectu legatariorum agentium in actione

personali, iste esset forus necessarius, sed solum illud firmant per possibile, ad commodum scilicet & favorem ipsorum legatariorum, vel aliorum agentium contra haereditem, qui conventus in loco proprio domicilii, exciperet de incompetencia, quodque conveniri non posset nisi in loco hereditatis, qui absolute supponitur magis proprie competens, sed rejicitur exceptio ex eo quod etiam ille proprii domicilii talis reputandus esset, unde propterea iste forus stat ampliativè non autem privativè, & restrictivè ad alterum, qui supponitur forus magis regularis, ut ex lectura agentium de materia ut supra.

MONTIS ALTI

S E U

MACERATEN. FIDEICOMMISSI

P R O

BARBARA ET BEATRICE DE ANTONINIS

C U M

PATRIBUS SANCTI DOMINICI MACERATÆ.

Causa disputata coram A. C. resoluta pro Patribus, pendet in Rota.

De foro competenti in quo haeres fideicommissio gravatus conveniri possit vel debeat ad ejus restitutionem; Et quid de legatis & fideicommissis particularibus; Et aliqua de incompetencia Tribunalis A. C. in prima instantia extra Curiam.

S U M M A R I U M.

- 1 **F**Abi series.
- 2 **A**d inducendam veram contumaciam, & ut procedi possit per contradictas, requiritur prima citatio personalis.
- 3 **D**efectus citationis unius insuit in totam causam, etiam respectu citatorum.
- 4 **C**itatus coram incompetenti non tenetur comparere, & non potest reputari contumax.
- 5 **A. C.** in prima instantia extra Curiam non est competens.
- 6 **I**udex regulariter incompetens si ex aliqua causa sit competens, tenetur id exprimere in citatione.
- 7 **D**elegatus citando tenetur inserere delegationem.
- 8 **L**oca montium circumscribuntur loco, & censentur esse Urbis.
- 9 **Q**uis dicatur forus competens, in quo legati solutio, vel fideicommissi restitutio fieri debeat, examinatur.
- 10 **I**demque, ubi quaestio hereditatis decidi debeat.
- 11 **D**eclaratur conclusio, quod causa tractanda est, ubi est major pars bonorum.

D I S C.